

Eloquentiae apud Romanos origines

Rimsko govorništvo

Ak. god. 2009/2010

Malcovati, E., ed. (1955), *Oratorum Romanorum fragmenta liberae rei publicae*, Paravia, Torino.

Cic. de or. 1, 4, 14:

Atque ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta, in hac ipsa civitate profecto nulla umquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt. Nam postea quam imperio omnium gentium constituto diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adulescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit; ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam vim neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur; post autem auditis oratoribus Graecis cognitisque eorum litteris adhibitisque doctoribus incredibili quodam nostri homines di<s>cendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo, varietas multitudine in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio consecutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret; erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, exposita praemia vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem; ingenia vero, ut multis rebus possumus iudicare, nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt. Quibus de causis quis non iure miretur ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum tam exiguum oratorum numerum inveniri?

1 Appius Claudius Caecus

Is e gente patricia patriciorumque fautor, qui et censor (a. 442/312) fuit et ad consulatum bis pervenit (a. 447/307; iterum a. 458/296) et praetor

2 Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATOR

contra Samnites feliciter decertavit et dictaturam gessit.

Seneca ep. 114, 13:

Multi ex alieno saeculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur; Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et Coruncanium redeunt.

Cic. Brut. 16, 61:

nec vero habeo quemquam antiquiorem (*sc. Catone*) cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appi Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant.

Liv. epit. 13:

Cineas legatus a Pyrrho ad senatum missus petit, ut conponendae pacis causa rex in urbem reciperetur. de qua re cum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Appius Claudius, qui propter valetudinem oculorum iam diu consiliis publicis se abstinuerat, venit in curiam et sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur.

2 Q. Fabius Maximus Cunctator

Quinquies consul fuit (a. 521/233, 526/228, 539/215, 540/214, 545/209) et censor a. 537/230 et dictator bis (a. 533/221 comitiorum habendorum causa, iterum a. 537/217 interregni causa) et pontifex a. 538/216 in locum Aemilii Pauli qui Cannensi pugna periit, augur postremo usque ad annum 551/203, quo anno supremum obiisse diem videtur. Primo consulatu Ligures subegit de iisque triumphavit; tum unus Hannibali compluribus victoriis feroci restitit eiusque bellicam virtutem non tam vi quam prudentia fregit. Quartum consul in Campaniam contra Hannibalem profectus, Casilinum oppugnavit: in postremo autem consulatu Tarentum per dolum cepit Romaeque de Tarentinis atque Carthaginiensibus triumphum egit.

Cic. Cat. mai. 4,11–12:

ego Q. Maximum, eum qui Tarentum recepit, senem adulescens ita dillexi ut aequalem; erat enim in illo viro comitate condita gravitas nec senectus mores mutaverat; quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate proiectum. anno enim post consul primum fuerat quam ego natus sum, cumque eo quartum consule adulescentulus miles ad Capuam profectus sum quintoque anno post ad Tarentum quaestor, deinde quadriennio post factus sum + praetor,

quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego, cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit. hic et bella gerebat ut adulescens, cum plane grandis esset, et Hannibalem iuveniliter exultantem patientia sua molliebat; de quo praecclare familiaris noster Ennius:

'Oenus homo nobis cunctando restituit rem.
noenum rumores ponebat ante salutem.

ergo postque magisque viri nunc gloria claret." Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit! cum quidem me audiente Salinatori, qui amissio oppido fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: "mea opera Q. Fabi Tarentum recepisti": "certe", inquit ridens, "nam nisi tu amisses, numquam recepissem." nec vero in armis praestantior quam in toga; qui consul iterum Sp. Carvilio collega quiescente C. Flaminio tribuno plebis quoad potuit restitit agrum Picentem et Gallicum viri tim contra senatus auctoritatem dividenti; augurque cum esset, dicere ausus est optumis auspiciis ea geri quae pro rei publicae salute gerentur; quae contra rem publicam ferrentur, contra auspicia ferri. multa in eo viro praeclara cognovi; sed nihil admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. est in manibus laudatio, quam cum legimus quem philosophum non contemnimus? nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. qui sermo, quae praecepta, quanta notitia antiquitatis, scientia iuris augurii! multae etiam ut in homine Romano litterae; omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella. cuius sermone ita tum cupide fruebar, quasi iam divinarem id quod evenit, illo extincto fore unde discerem neminem.

3 P. Cornelius Scipio Africanus maior

Ei Africano ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque (a. 522/202) cognomen fuit; iam septemdecim annos natus pugnae ad Ticinum interfuit periculumque a patre vulnerato propulsavit; tum tribunus militum ad Cannas nobiles iuvenes quosdam Italiam deserere cogitantes a consilio deterruit; anno autem 542/212 aedilis curulis creatus est etsi nondum ad petendum legitima aetas ei erat et insequenti anno in Hispaniam, ubi pater ceciderat, cum imperio missus praeclaras gessit res; unde cum rediisset consul primum a. 549/205 est factus et Africa ei provincia destinata; itaque in Siciliam profectus est rebusque ibi compositis in Africam transgressus Carthaginienses pluribus vicit proeliis

atque reversus in urbem amplissimum nobilissimumque egit triumphum.

Cic. de off. 3, 1, 4:

Nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus extat; ex quo intellegi debet illum mentis agitatione investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum nec solum umquam fuisse; nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus.

Gell. 4, 18, 3:

Cum M. Naeuius tribunus plebis accusaret eum ad populum diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut condicionibus gratiosis et molibus pax cum eo populi Romani nomine fieret et quaedam item alia criminis daret indigna tali uiro, tum Scipio pauca praefatus, quae dignitas uitiae suae atque gloria postulabat: “memoria,” inquit “Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Poenum imperio uestro inimicissimum magno proelio uici in terra Africa pacemque et uictoriā uobis peperi inspectabilem. Non igitur simus aduersum deos ingrati et, censeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc protinus Ioui optimo maximo gratulatum.” Id cum dixisset, auertit et ire in Capitolium coepit. Tum contio uniuersa, quae ad sententiam de Scipione ferendam conuenerat, relicto tribuno Scipionem in Capitolium comitata atque inde ad aedes eius cum laetitia et gratulatione sollemni prosecuta est. Fertur etiam oratio, quae uidetur habita eo die a Scipione, et qui dicunt eam non ueram, non eunt infitias, quin haec quidem uerba fuerint, quae dixi, Scipionis.

Liv. 38, 50–51:

P. Scipioni Africano, ut Ualerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. id, prout cuiusque ingenium erat, interpretabantur. alii non tribunos plebis, sed uniuersam ciuitatem, quae id pati posset, incusbant: duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inuentas, Romam ingratiorem, si quidem uicta Carthago uictum Hannibalem in exilium expulisset, Roma uictrix uictorem Africanum expellat. alii, neminem unum ciuem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit; nihil tam aequandae libertatis esse quam potentissimum quemque posse dicere causam. quid autem tutto cuiquam, nedum summam rem publicam, permitti, si ratio non sit reddenda? qui ius aequum pati non possit, in eum uim haud iniustum esse. haec agitata sermonibus, donec dies causae dicendae uenit.

nec alias antea quisquam nec ille ipse Scipio consul censorue maiore omnis generis hominum frequentia quam reus illo die in forum est deductus. iussus dicere causam sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret neminem umquam neque melius neque uerius laudatum esse. dicebantur enim ab *<eo>* eodem animo ingenioque, quo gesta erant, et aurium fastidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam referebantur.

tribuni uetera luxuria crimina Syracusanorum hibernorum et Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem praesentium criminum retulissent, suspicionibus magis quam argumentis pecuniae captae reum accusarunt: filium captum sine pretio redditum, omnibusque aliis rebus Scipionem, tamquam in eius unius manu pax Romana bellumque esset, ab Antiocho cultum; dictatorem eum consuli, non legatum in provincia fuisse; nec ad aliam rem eo profectum, quam ut, id quod Hispaniae Galliae Siciliae Africæ iam pridem persuasum esset, hoc Graeciae Asiaeque et omnibus ad orientem uersis regibus gentibusque apparet, unum hominem caput columenque imperii Romani esse, sub umbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latere, nutum eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse. infamia intactum inuidia, qua possunt, urgent. orationibus in noctem perductis prodicta dies est. ubi ea uenit, tribuni in Rostris prima luce consederunt; citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per medium contionem ad Rostra subiit silentioque facto “hoc” inquit “die, tribuni plebis uosque, Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnauit. itaque, cum hodie litibus et iurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum Iunonemque et Mineruam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo, hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. uestrum quoque quibus commodum est, Quirites, ite mecum, et orate deos, ut mei similes principes habeatis, ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper uos aetatem meam honoribus uestris anteistis, ego uestros honores rebus gerendis praecessi.” ab Rostris in Capitolium ascendit. simul se uniuersa contio auertit et secuta Scipionem est, adeo ut postremo scribae uiatoresque tribunos relinquenter, nec cum iis praeter seruilem comitatum et praefetonem qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset.

4 Q. Caecilius Metellus L. f.

Plin. n. h. 7, 43, 139:

Q. Metellus in ea oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, XV vi-
ri agris dandis, qui prims elephantes ex primo Punico bello
duxit in triumpho, scriptum reliquit decem maximas res optimasque,
in quibus quaerendis sapientes aetatem exigent, consummasse eum:
voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissi-
mum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti,
summa sapientia esse, summum senatorem haberri, pecuniam magnam
bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civita-
te esse; haec contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam.

5 M. Porcius Cato (538/216–605/149)

Natus est M. Porcius Cato anno, ut videtur, 520/234, Tusculi. In Campania vero a. 538/216 primum stipendium meruit contra Hannibalem sub M. Claudio Marcello; tum a. 540/214 in Sicilia sub eodem Marcello tribunus militum fuit. Anno autem 547/207 in exercitu C. Claudii Neronis stipendia fecit magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo proelio Hasdrubal mortem obiit. Quaestor a. 550/204 in Sicilia cum exercitu in Africam transgressus est, unde cum per Sardiniam exeunte anno 551/203 vel ineunte a. 552/202 decederet Romam secum Q. Ennium poetam duxit. A. 555/199 aedilis plebis cum C. Helvio fuit; insequenti vero praetor Sardiniam obtinuit, quo in magistratu sancte atque innocenter se gessit asperiorque in fenore coercendo iudicatus est: feneratores enim ex insula eius opera fugati sunt atque sumptus, quos in cultum praetorum socii facere soliti erant, circumcisi vel sublati. A. 559/195 consul cum L. Valerio Flacco creatus, Hispaniam provinciam sortitus est atque res quas tum gessit in libro dierum dictarum de consulatu suo ipse exposuit. A. 564/190 legatus M.' Acilii Glabronis contra Antiochum ad Thermopylas pugnavit: censor a. 570/284 cum eodem L. Valerio Flacco factus adeo severe ei potestati praefuit ut Censorius cognomine appellaretur. Anno 605/149 diem supremum obiit.

Liv. 39, 40:

sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. in hoc uiro tanta uis animi ingenique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse uideretur. nulla ars neque priuatae neque publicae rei gerendae ei defuit; urbanas rusticasque res pariter callebat. ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic uersatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, idem postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cuius lingua uiuo eo uiguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: uiuit immo uigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis. orationes et

pro se multae et pro aliis et in alios: nam non solum accusando sed etiam causam dicendo fatigauit inimicos. simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed inuicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae, diuitiarum. in parsimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae soluit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se orauerit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium.

Plin. N. H. 7, 100:

Cato primus Porciae gentis tres summas in homine res praestitisse existimatur, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator, quae mihi omnia, etiamsi non prius, attamen clarius fulsisse in Scipione Aemiliano videntur, dempto praeterea plurimorum odio, quo Cato laboravit. itaque sit proprium Catonis quater et quadragiens causam dixisse, nec quemquam saepius postulatum et semper absolutum.

Cic. Brut. 63:

Catonis autem orationes non minus multae fere sunt quam Attici Lysiae, cuius arbitror plurimas esse (...) et quodam modo est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo: acuti sunt, elegantes faceti breves; sed ille Graecus ab omni laude felicior. habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consequentur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat (...) sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? at quem virum, di boni! mitto civem aut senatorem aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus inlustribus. licet ex his eligant ea quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? amatores

huic desunt, sicuti multis iam ante saeclis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis [autem] cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae — quod idem Lysiae Demosthenes — sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. sed ea in nostris inscritia est, quod hi ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne neverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. laudo: sed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. sapienter id quidem; atque utinam imitarentur nec ossa solum, sed etiam sanguinem! gratum est tamen, quod volunt. cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba. ita enim tum loquebantur. id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros et, <ut> aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni.

Gell. 16, 1:

Verba Musoni philosophi Graeca digna atque utilia audiri obseruarique; eiusdemque utilitatis sententia a M. Catone multis ante annis Numantiae ad equites dicta.

Adulescentuli cum etiamtum in scholis essemus, *enthumemation* hoc Graecum, quod adposui, dictum esse a Musonio philosopho audiabamus et, quoniam uere atque luculente dictum uerbisque est breuibus et rotundis uinctum, perquam libenter memineramus: *an ti prakses kalon meta ponou, ho men ponos oihetai, to de kalon menei; an ti poieses aishron mata hedones, to men hedu oihetai, to de aishron menei.*

Postea istam ipsam sententiam in Catonis oratione, quam dixit Numantiae apud equites, positam legimus. Quae etsi laxioribus paulo longioribusque uerbis comprehensa est praequam illud Graecum, quod diximus, quoniam tamen prior tempore antiquiorque est, uenerabilior uideri debet.

Verba ex oratione haec sunt: “Cogitate cum animis uestris: si quid uos per laborem recte feceritis, labor ille a uobis cito recedet, bene factum a uobis, dum uiuitis, non abscedet; sed si qua per uoluptatem nequiter feceritis, uoluptas cito abibit, nequiter factum illud apud uos semper manebit.”

Gell. 13, 25, 11:

uerba haec item multa atque uaria: “depopulatus esse, uastasse, exinanisse, spoliassse”, nonne unam et eandem uim in sese habent? Sa-

ne. Sed quia cum dignitate orationis et cum graui uerborum copia dicuntur, quamquam eadem fere sint et ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimantur, quoniam et aures et animum saepius feriunt.

Hoc ornatus genus in crimine uno uocibus multis atque saeuis extruendo ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebrauit, sicut in illa, quae inscripta est de decem hominibus, cum Thermum accusauit, quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce uerbis eandem omnibus rem significantibus usus est, quae quoniam sunt eloquentiae Latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est ea mihi *apomnemoneuein*:

“Tuum nefarium facinus peiore facinore operire postulas, succidas humanas facis, tantam trucidationem facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus uitam eripis indicta causa, iniudicatis, indemnatis.” Item M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rodiensibus, cum uellet res nimis prosperas dicere, tribus uocabulis idem sentientibus dixit. Verba eius haec sunt:

“Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere.” Itidem Cato ex originum VII in oratione, quam contra Seruium Galbam dixit, conpluribus uocabulis super eadem re usus est: “Multame dehortata sunt hoc prodire, anni, aetas, uox, uires, senectus; uerum enim uero cum tantam rem peragier arbitrarer,” * * * .